SEPTEM
PSALMI PŒNITENTIALES
LITANIÆ, ET PRECES
RECITANDÆ

AD

DIVINUM AUXILIUM
IMPLORANDUM

In præsentibus necessitatibus.



ROMÆ MDCCXCVIII.

Typis Rev. Cameræ Apostolicæ.

SEPTEM
PSALMI PŒNITENTIALES

Ant. Ne reminiscaris Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam sumas de peccatis noſtris.

Pſalm. 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: * sana me Domine, quoniam conturbata sunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: * sed tu Domine usquequò?

Convertere Domine, & eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo

per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur & erubescant valdè velociter. Gloria Patri &c.

Psalm. 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: * & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa

ossa mea, * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci, * & injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: * & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: * exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In

In camo & fræno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate justi: * & gloriamini omnes recti corde. Gloria Patri &c.

Psalm. 37.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: * & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Mi-

Miser factus sum ; & curvatus sum usque in finem : * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : * & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum : & humiliatus sum nimis : * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum : * & gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : * & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei, * adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt:*&.vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: * & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam ; * & sicut mutus non aperiens os suum .

Et factus sum sicut homo non audiens , * & non habens in ore suo redargutiones .

Quoniam in te , Domine , speravi : * tu exaudies me , Domine Deus meus .

Quia dixi ; Ne quando supergaudeant mihi inimici mei : * & dum commoventur pedes mei , super me magna locuti sunt .

Quoniam ego in flagella paratus sum : * & dolor meus in conspectu meo semper .

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo : * & cogitabo pro peccato meo .

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me : * & multiplicati sunt qui oderunt me inique .

Qui retribuunt mala pro bonis , detrahebant mihi : * quoniam sequebar bonitatem .

Ne

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: * ne discesseris a mē.

Intende in adjutorium meum, * Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, &c.

Psalm. 50.

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea:* & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci * ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta , & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi .

Asperges me hyssopo , & mundabor : * lavabis me , & super nivem dealbabor .

Auditui meo dabis gaudium , & lætitiam , * & exultabunt ossa humiliata .

Averte faciem tuam a peccatis meis : * & omnes iniquitates meas dele .

Cor mundum crea in me Deus:* & spiritum rectum innova in visceribus meis .

Ne projicias me a facie tua : * & spiritum sanctum tuum ne auferas a me .

Redde mihi lætitiam salutaris tui : * & spiritu principali confirma me .

Docebo iniquos vias tuas : * & impii ad te convertentur .

Libera me de sanguinibus Deus, Deus

Deus salutis meæ : * & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : * & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos. Gloria Patri &c.

Psalm. 101.

DOmine exaudi orationẽ meã:* & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me:* in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: * & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus sum ut fœnum, & aruit cor meum: * quia oblitus sum cōmedere panem meum.

A voce gemitus mei, * adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis: * factus sum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: * & factus sum ſicut paſſer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei; * & qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam, * & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ & indignationis tuæ:* quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinave-

runt : * & ego ficut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes : * & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion : * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus : * & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, * & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : * & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humiliũ: * & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: * & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compedito-

rum: * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: * & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unū:* & reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ:* paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: * in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti, * & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: * & semen eorum in sæculum dirigetur. Gloria Patri &c.

Psalm. 129.

DE profundis clamavi ad te Domine : * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine : * Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : * & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri &c.

Psalm. 142.

DOmine exaudi orationẽ meã: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te; * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: * & si-

& similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem; * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi; * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: * & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; * quoniam ego servus tuus sum. Gloria Patri &c.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

ALIÆ

ALIÆ PRECES

AD LIBITUM RECITANDÆ

O bone Jesu miserere nostri, quia tu creasti nos, tu redemisti nos Sanguine tuo pretiosissimo.

DEINDE

Sancta Maria, Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, ac omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus; & Pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, ora

Sancta Virgo Virginum, ora

Sancte Michael, ora

Sancte Gabriel, ora

Sancte Raphael, ora

Omnes sancti Angeli, & Archangeli, orate

Omnes sancti beatorum Spirituum ordines. orate

Sancte Joannes Baptista, ora

Sancte Joseph, ora

Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate

Sancte Petre, ora

Sancte Paule, ora

Sancte Andrea, ora

Sancte Jacobe, ora

Sancte Joannes, ora

San-

Sancte Thoma, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Philippe, ora
Sancte Bartholomæe, ora
Sancte Matthee, ora
Sancte Simon, ora
Sancte Thaddæe, ora
Sancte Mathia, ora
Sancte Barnaba, ora
Sancte Luca, ora
Sancte Marce, ora
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, orate
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate
Sancte Stephane, ora
Sancte Laurenti, ora
Sancte Vincenti, ora
SS. Fabiane, & Sebastiane, orate
SS. Joannes, & Paule, orate
SS. Cosma, & Damiane, orate
SS. Gervasi, & Protasi, orate
Omnes Sancti Martyres, orate

San-

Sancte Silvester, ora
Sancte Gregori, ora
Sancte Ambrosi, ora
Sancte Augustine, ora
Sancte Hieronyme, ora
Sancte Martine, ora
Sancte Nicolae, ora
Omnes Sancti Pontifices, & Confessores, orate
Omnes SS. Doctores, orate
Sancte Antoni, ora
Sancte Benedicte, ora
Sancte Bernarde, ora
Sancte Dominice. ora
Sancte Francisce, ora
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate
Sancta Maria Magdalena, ora
Sancta Agatha, ora
Sancta Lucia, ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Cæcilia, ora

Sancta Catharina, ora
Sancta Anastasia, ora
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera
Ab ira tua, libera
Ab imminentibus periculis, libera
A flagello terræmotus, libera
A peste, fame, & bello, libera
A subitanea & improvisa morte, libèra nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera
A spiritu fornicationis libera
A fulgure, & tempestate, libera
A morte perpetua, libera
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per

Per Adventum tuum, libera
Per Nativitatem tuam, libera
Per Baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera
Per Crucem, & Passionem tuam libera nos Domine.
Per mortem, & sepulturam tuam, libera nos Domine.
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera
In die Judicii, libera
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indulgeas, te rog.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, te rog.
Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in san-

cta

ſta Religione conservare digneris, te rog.

Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rog.

Ut Turcarum, & Hæreticorum conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, te rog.

Ut Regibus, & Principibus christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rog.

Ut cuncto populo christiano pacem, & unitatem largiri digneris, te rogamus.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris, te rog.

Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, te rog.

Ut omnibus benefactoribus noſtris sempiterna bona retribuas, te rog.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.

Ut

Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster &c. *Secreto*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℞. Sed libera nos à malo.

Psalm. 90.

QUI habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Di-

Dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus;* non timebis à timore nocturno.

A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia: à dextris tuis, * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis; * & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum, * & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quo-

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis: * & conculcabis leonem, & draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum, * protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum; & ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri &c.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, & plagas quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum quod fecimus,

mus, minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur.

Gravius eſt quod commiſimus, levius eſt quod toleramus.

Peccati pænam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas noſtra teritur, & iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur: ſi vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus, obliviscimur poſt viſitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi suspenderis gladium, promiſſa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas, ſi peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes Domine confitentes reos:
no-

novimus quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Præsta Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent.

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

HYMNUS.

AVE Maris Stella
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus;
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

RESPONSORIUM.

SI vis Patronum quærere.
Si vis potentem Vindicem,
Quid jam moraris? invoca
Apostolorum Principem.
O Sancte Cæli Claviger,
Tu nos precando sublevas,
Tu redde nobis pervia
Aulæ supernæ limina.
Ut ipse multis pœnitens
Culpam rigasti lacrymis.

Sic noſtra tolli poscimus
Fletu perenni crimina.
O Sancte Cæli &c.
Sicut fuiſti ab Angelo
Tuis solutus vinculis,
Tu nos iniquis exue
Tot implicatos nexibus.
O Sancte Cæli &c.
O firma Petra Eccleſiæ,
Columna flecti nescia,
Da robur & conſtantiam,
Error fidem ne subruat.
O Sancte Cæli &c.
Romam tuo qui Sanguine
Olim sacraſti: protege;
In teque confidentibus
Præſta salutem gentibus.
O Sancte Cæli &c.
Tu rem tuere publicam,
Qui te colunt, Fidelium,
Ne læsa ſit contagiis,
Ne scissa ſit discordiis.
O Sancte Cæli &c.
Quos hoſtis antiquus dolos

In-

Instruxit in nos, destrue;
Truces, & iras comprime;
Ne clade nostra sæviat.
O Sancte Cæli &c.

Contra furentis impetus
In morte vires suffice,
Ut & supremo vincere
Possimus in certamine.
O Sancte Cæli &c.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui
Sancto.
O Sancte Cæli &c.

℣. Exaudi Domine supplicum preces,
℟. Et confitentium tibi parce peccatis.
℣. Effundo in conspectu tuo orationem meam,
℟. Et tribulationem meam ante te pronuncio.
℣. Rogate quæ ad Pacem sunt Hierusalem,
℟. Et abundantia diligentibus te.

℣. Fiat

℣. Fiat Pax in virtute tua;
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Deus ne elongeris a me.
℟. Deus meus in auxilium meum respice.
℣. Fiat misericordia tua Domine super nos,
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Oſtende nobis Domine misericordiam tuam,
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Respice Domine ad humilitatem noſtram,
℟. Et non deseras nos in tempore tribulationis.
℣. Domine exaudi orationem meā.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

DEus qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem; concede propitius,

tius, ut cujus Sacratissimam Imaginem veneramur in terris, illius quoque aspectu perfruamur in Cælis.

DEus qui culpa offenderis pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur averte

PArce Domine, quæsumus, parce populo tuo, & nullis jam patiaris adversitatibus fatigari, quos prætioso Filii tui sanguine redemisti.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos, & a peccatis om-

nibus

nibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur eripias.

DEus refugium nostrum, & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod in præsentibus necessitatibus fideliter petimus, efficaciter consequamur.

DEus, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam Mundus dare non potest Pacem; ut & corda nostra mandatis tui dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro PIO, & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEfende, quæsumus Domine, istam ab omni adversitate civi-

vitatem: & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis.

A Cunctis nos, quæsumus Domine, mentis, & corporis defende periculis: & intercedente beata, & glorioſa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus, & pacem: ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus univerſis, Eccleſia tua ſecura tibi serviat libertate. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia secula seculorum.

℟. Amen.

℣. Exaudiat nos Omnipotens, et Misericors Dominus.

℟. Et cuſtodiat nos semper. Amen.

L A V S D E O